

P r a e f a n d a.

Quae sola inscriptione huius libelli non cuivis patebunt, quam ob causam nec de Thebarum origine incolisque nec de Cadmo Cadmeorumque rebus pluribus sit disputatum, paucissimis nunc aperientur. Nimirum tota laboris institutio proposito priori obstabat. Nam quum iamdudum in hac palaestra laborare cupissem, rem autem animo volutans meorum et quae hoc, quo versor, loco ad manus sunt, subsidiorum maxima laborantem paucitate me vidissem iamque semel iterumque in eo fuisse, ut totum abiicerem consilium, ut tandem licuit anni proxime praeteriti aestate otio tum per ferias legitimo tum ultra benigniter concesso ad inspiciendas bibliothecae Bonnensis copias in usumque meum convertendas. Cuius

rei facultas Welckeri Berndiique humanitate praeter exspectationem mihi contigit. At, ut fit, paucorum dierum celeriter effugit otium; hinc multa iacebant imperfecta manaque, quum valedicendi momentum opinione celerius advenisset. Neque compensare poterant iacturam inde factam, quae manu amicissima et liberalissima collegae quidam vicini offerebant, quamvis gratissimo animo accepta. Quare tu quidem, Lector Benevole, accipe quae habeo; quibus fontibus hauserim, vides diligenter in annotationibus indicatum; quae dare nequeo, noli postulare. Judicium vero tuum cohibe, si forte nimis acriter incuriam scriptori sis exprobraturus.

Dabam Herfordiae m. Julio MDCCCXXXIII.